BREVIS ET DILVCIDA DISPVTATIO.

De confessione Reorum, tam quæ in exteriori foro Iudicibus, quàm quæ in interiori Deo fit.

AD D. D. FRANCISCVM CALDERA DE HEREDIA, IN GRANATENSI PRÆTORIO CENSOREM VIGILANTISSIMVM.

AVTORE

LICENCIATO LAVRENTIO GVtierrez de Pineda, Alcala Regiæ Proabbate, & Generali Vicario.

PROPTER, VERITATEM, ET MANSVETVDINEM, ET IVSTITIAM.

CVM LICENTIA ORDINARII.

GRANATÆ.

Apud Viduam SEBASTIANI de Mena.

Acosta de Augustin Matias librero. Vendense en su casa.

Anno Domini ∞. IϽC. IX.

EX commissione Prouisoris Generalis Archidiaconi Granatensis domini Iustini Antolinez de Burgos, Breuem & lucidam disputationem de confessione Reorum tam in foro iudiciario, quàm in interiori, Per Licenciatum LAVRENTIVM GVTIERREZ DE PINEDA *Vicarium Generalem Proabbate Alcala Regiæ ventilatam, acuratè perlegi, nihilque quod sanæ fidei aduersaretur inueni, imò multa, quæ pietatem christianam redolerent, opus quidem breuitate paruum, sed Iudicibus, ijs præcipuè, qui in Criminalibus versantur satis vtile; ne dum nimium iustos videri volunt Sacramentorum pietate ad extorquendas Reorum confessiones abutantur. Vnde typis mãdandũm esse iudico. In Conuentu S. Patris Augustini Granatensi, die vndecima Mensis Nouembris, Anno Domini 1609.*

Fr. Didacus de Sandoual.

D. D. FRANCISCO CALDERA DE HEREDIA, FIDEI CENSORI.

GVTIERRIVS DE PINEDA S.

QVID de legitimè suspecti, seu coniuncti confessione sentirem, coactus sum respondere, hæc tibi mitto non docendi, sed discendi animo, te enim, quem Doctorem & Magistrum omnes venerantur; Magistrum & Doctorem agnoscam dum vixero, si qua enim mihi doctrinæ scintilla tuæ splendidissimo lumini referro acceptam. Peccatum quidem palàm de his loqui, qui minimo minùs calco, tecũ maximè, facio enim medico medicinam, sed nihilominùs iudicium profero suspēsa tamē manu, vt elliciam tuum, nec tamen vt homini apprimè erudito obstringillare vellim; sed, quia veritas per cõtraria aperitur, noui enim virum, noui ingenium, noui decumanam eruditionem; noui etiam nonnulla illius exhibita mihi iudicia in causis coram me dictis, quibus lubens adsentio, quia nudam veritatem cum firma doctrina ex medullis iuris concludunt; quæ omnia colenda mihi non sugillanda. Accipe ergo minutulũ ingenij munusculum velut obsidem eorum, quæ tuo nomini dicanda parat; si enim vnius dieculæ mora concedatur, maiora quidem (saltem materię æstimatione) pręstabit. Vale Vllæ Regiæ, Kalendis Septembris, Anno ∞. IϽC. IX.

QVÆREBATVR nouissimè. Vtrùm Reus, iudice legitimè interrogãte, teneatur veritatem propalare, cũ proprij capitis manifesto periculo, grauique bonorum vel famæ iactura, tunc maximè quando factum, est notorium, adeòque flagrat delictũ, vt Reus ipse publicè diffamatus atque suspectus, ore omniũ, aut saltem Iudicis inueniatur propter manifesta indicia.

¶ IN cuius quæstionis resolutione, quãuis vniuersa, ferè, Theologorum schola partem tueatur affirmatiuã cum diuo Tho. 2.2. q. 69. art. 1. asserente: Reum, ex debito iustitiæ, teneri veritatem

exponere,quam iudex ab eo secundùm iuris famam percõtatur;
ita,vt contrarium agens,ædificet ad gehennam. Et quanuis hãc
eadem doctrinam viri eruditissimi omniumque scientiarum ge-
nere consumatissimi(nemimem autem indigito)defendant,ni-
hilominùs tamen,rem penitiùs introspiciens,partem negatiuam
ausim affirmare. Sit ergo affirmatiua conclusio.

¶ IN CAVSIS capitalibus,vbi sanguinis imminet periculũ,
vel de graui agitur dedecore, Reus etiam, legitimè à iudice im-
petitus,potest amphibolis sermonibus,fucosoque verborũ inuo-
lucro,secluso tamen mendatio,veritatem occludere. Quam cõ-
clusionem,maturis considerationibus prosequitur,& exornat Pe
trus de Nauarra infrà allegandus; quæ quidem doctrina, quãuis
aliquibus exoticum inuentum ab antiquis non excogitatum visa
fuerit,eam tamen plurimi ex antiquioribus, apud quos illius ex-
tat mirabile vestigium, & nonnulli etiam ex recentioribus am-
plectuntur. Hanc sequitur Panormit.in cap.2.in fin.de Cõfessis,
secutus glos.in cap.Ex parte,verb.Absq;rationabili,eod.tit.lib.6.
asserens: In criminalibus, Reum etiam legitimè interrogatũ,nõ
teneri respondere quando venit imponenda pœna temporalis,
qualiscũque illa sit,etiam leuissima, cui subscripsit Syluest.verb.
Confessio non sacramentalis,num.1.ibi: Quòd si iudex procedit
ex mero suo officio,tenetur quis respõdere veritatem,si infamia
flagrat,vel semiplenè probatum est,sub pœna peccati. Cuius opi-
nionis citat autorem diuum Thomam vbi suprà; quam tamẽ ip-
se limitat,vt solùm procedat,quando agitur ad pœnam spiritua-
lem,nõ verò ad temporalẽ,quam differentiam & limitationẽ se-
quitur Angelus,Panormitanum approbans in Summa,verb.Cõ-
fessio delicti,num.1.ex ratione text.in cap. Quis aliquando, ver-
sic.Non tibi dico,de pœnit.dist.1.cap.Si peccauerit.2.q.1.quibus
Iuribus probatur, neminem cogendum contra se ipsum delicta
detegere,vt temporaliter puniatur,secùs autẽ si spiritualiter; tũc
enim cogitur respondere,quia spirituales pœnæ,non tàm pœnæ
quàm medicinæ censantur. Hanc eandem opinionem sequitur
Robertus Maran.in Speculo aureo Aduocatorum.6.p.7.mẽmb.
num.9. Alexand.in Additionib.ad Bartolum,in.l.1.ff.de bon.
eo.q.ant.sent.mort.sib.conc. Conducunt maximè quæ latissimè
prosequitur Decian.Pract.crim.lib.6.cap.11.nu.15.vbi citat Bar-
batiam asserentem, excussari quis à periurio, si aliter bona sua
seruare non poterat, & num.17.refert Bald.in.l.Pactum,in vlt.q.
C.de collat.dicẽtem:Neminẽ teneri iuramentũ seruare,propter

quod incidit in periculum mortis. Abbatis autẽ opinio adeò vniuersalis originem & fundamentum sumpsit ex eo, quod inter Iuris cõmunis interpretes communi omniũ calculo contra Bart. receptũ est, Iudicem inique agere, iuramentũ à Reo super eius crimine exigentem, etiam legitimè suspectum aut conuictũ. Quam opinionem primus omniũ tenuit Speculat. tit. de Inquisit. §. viso igitur. versic. Inquisitores. n. 19. vbi inquit: Inquisitores quoque Deum habent prę oculis, & sine acceptione procedãt, nec à Reo exigãt iuramentũ, quia nõ tenetur iurare. Idẽ tit. deposit. §. 7. n. 19 ait, procedere nõ solum si agitur per modum accusationis, sed etiã inquisitionis, resoluit Didac. de Contera in pract. crim. in tit. de quæstionib. tangentib. Reum. q. 3. n. 1. vbi allegat Marãt. vbi suprà asserentem, quòd etiam si Reus iuraret & diceret mendatiũ, non esset periurus; quod tamẽ intelligendũ est vt per eum ibidẽ dicit cõmunem Hipol. in pract. crim. §. Postquam. n. 1. vbi ita ipsum obseruare testatur, dum Iudicẽ ageret, Bald. in. l. 2. n. 7. & in. §. Quod obseruari. C. de iureiur. prop. cal. dan. & ratio rationis est, quia impium reputatur de ipsius rei domo arma petere, etiam in ciuilib⁹, ne dum in criminalibus, vt in. c. 1. vbi notant omnes de probatio. Scribẽtes in. l. Actor quod asseuerat. c. de probatio. & in. l. Qui accusare. c. de edendo. Quare, huiusmodi iuramẽtum, vtpote violẽtum & metu exortũ, seruãdũ nõ esse, resoluit Decia. vbi sup. n. 20. vbi ait: Iuramentũ appositũ in cõfessione metu facta, nihil operari, refertq; Iulliũ. 2. qui cùm multa iuramẽto promisisset, si Põtifex eligeretur in fauorem cuiusdam tyrãni Cesaris Borja, electus Põtifex implere noluit, dizens se tyranni metu promisisse. Qui autẽ vehemẽtior metus, quam qui Reo incutitur? Si enim confitetur, iã iudicatus est; si autẽ iurare renuit, pro cõfesso habebitur. Quę quidem opinio adeò est consona ęquitati, vt Doctor quidã ex nostris Legũ Regni celeberrimus Cõmentator asserat, se Regi cõsulturũ, si facultas daretur & subesset autoritas, vt legẽ cõderet, qua caueretur, vt in causis criminalibus pœnã sanguinis irrogãtibus, non posset Iudex à Reo exigere iuramentũ; quibus mirè cõsonat illud B. August. de Ciui. Dei, lib. 9. c. 6. dicentis, quid cùm in sua causa quis torquetur, & cùm quęritur vtrùm sit innocẽs, cruciatur?

Nihilominus tamẽ Abbat. opinionem alteriusq; cõtrariæ rigorem: quarum vtraque extremis gaudet distinctionis fædere cordatissimè temperauit Petr. de Nauar. veridicum in materia restitutionis oraculum, tom. 2. c. 4. n. 32. ibi: Quãuis hæc ita sint, piè tamen & probabiliter existimo, non vniuersaliter, vt prior dicebat opinio, sed in causa criminali, præcipuè capitis, posse Reum in

 conscien-

conscientia veritatem secluso mendatio contegere. Quã doctrinam, maturis considerationibus cõprobat, & quas ego brebitatis causa omitto, hãc eandem opinionem sequitur Eman. Rodri. Doctor quidem miræ eruditionis, & in disputationibus moralibus, aut infirmæ autoritatis, de Ordine iudicia. c. 10. quibus etiã suppetias tullit doctissimus vbiq; gẽtium, Ignat. Lopez de Salze. (qui omniũ scientiarum genere exuberãs, vt mulier Plautina in truculẽto alienã prolem, sic ipse alienos fætus sibi suppositos elimãdos, & nutriendos assumpsit) in Pract. crimi. canon. c. 126. in Additio. litera A. ibi: Nonò, illud perpetuò memoriæ cõmendandũ cẽseo, quód licèt præfata magis communis opinio in causis ciuilibus & criminalibus procedat, at verò in causis capitalibus, vel, vbi de graui agitur dedecore asseuerãdum censeo, posse Reum salua cõscientia, veritatem ipsam absq; mẽdatio verborum inuolucro cõtegere. Addo etiã, quartum huius opinionis locuplerissimũ testẽ Tiber. Decia. virum quidem in criminalibus negotiis ad perfectum instructum, qui cùm in sua Pract. crimin. lib. 6. cap. 11. n. 13. asserat, nemini pro salute corporis tuẽda, vitãque seruanda, absolutè peierare licere, infrà eod. ca. n. 57. latissimè disputat. Vtrùm à periurio excusetur, qui vsus aliqua caculatione & dolosa cautela iurauit alia, inquàm, intentione, ab ea, quã illi iuramentũ delatum est. Cui etiam quæstioni respondit ita. Iurantem iuramenti Reum censendũ esse, quod acutissimè limitat, preterquam, quòd si bono zelo fecisset, putà, inquit, pro saluanda vita alicuius, refertque Beatum Franciscum, qui interrogatus, homicidã né fugientẽ vidisset (mittens digitum in auriculã), non illàc transisse, respõdit. Citatq; huius cuẽtus autores antiquos Angel. & Ananiã; ergo, si testi interrogato (qui maiori iure veritatẽ tenetur Iudici exponere, vt notat Abb. vbi supra) amphibolis verbis licet veritatem obtulere de illo quoque, cuius vita in discrimẽ vertitur, lege si rempse iudicãdũ erit. Qua propter, cùm quatuor sint ex recẽtioribus huius opinionis Achiles, dubitare non potest, quin Reus inuitus iurans amarulentoque mortis periculo perterritus, secura conscientia possit illam amplecti. Quis enim sodes tantorũ virorũ autoritatibus, mortẽ, cuius amarissima est imago, non vitauit?

Cvivs doctrinæ, illud videtur inuincibile argumentũ quòd consanguineus intra certum gradum, iure non cogitur in criminalibus testimonium dicere aduersus cõsanguineũ, ex decisione text. in. l. 4. ff. de testib. ergo à fortiori ipsemet Reus accusatus, vel inquisitus cõtra se ipsum dicere, fas non erit? Quod argumẽtum respõsione carere testatur Gomezius tom. 3. de delictis, cap. 12. n. 5.

Facit præterea. Quia multa permittuntur in Iure causa cõseruandæ vitæ, quæ in aliis casibus prohibita inueniũtur, notãt omnes per tex. ibi in.l.1.ff. de bon.eo. qui an.sen.mor.sib.con. vbi cauetur eum, qui aduersariũ, vel Iudicẽ corrũperit, pro cõfesso habendum, preterquàm quòd si pro vitãda morte corrũpat; quo casu, nullatenus ei corruptionẽ nocere, respõdit Iurisconſ. nam ignoscendum est ei, qui sanguinẽ suum qualitercumq; redemptum voluerit. Libet autẽ expendere verbũ illud, Qualitercũque, maximé enim cõcesionis vim auget, argu. tex. in.c. Ad nostrã, de prob. ibi: Quoquo modo. & quæ ibi notat glos. & in.c. Deus omnipotẽs. vbi glos. versi. Quoquo modo.2.q.1.l.1. ibi: Quoquo modo poterunt. ff. de testa. mil.l.2.ff. de pact. dota. glos. verb. Frutus, in.l. Balista. ff. ad Treb. Confirmatur, quia vsu forẽsi receptũ est, testes cogendos non esse respõdere, neque posse interrogari ad eorũ testimonia elicienda super eorum criminibus, esset enim iniqua interrogatio, etiã si publica esset, & testis eorum causa fuerit infamatus, ita ex Innoc. in.c.2. de cõfesis, adnotarunt Felin. & Imol. in.cap. Cùm causa.n.10. de testib., quos citat & sequitur Couar. practic. quæst.c.18.n.7. & ante ipsos legalis Philosophus Bald. in.l. Cùm Iudices.§. Quod obseruari.n.20.C. de iureiur. prop. cal. Si enim in causis ciuilibus non sunt petẽda arma de domo ipsius Rei, vt in.c.1. vbi communis, de probat. Scribẽtes in.l.1.& in.l. Edicta actio. ff. de edendo, quanto minus in criminalibus petere licebit?

Hanc tamẽ doctrinã illo cõmuni axiomate solẽt impetere Iudice, scilicet, legitimè interrogante, Reum teneri legitimè etiam & veridicè respõdere, sub reatu lethalis, cui satisfit asserẽdo vtrũque, Iudicem scilicet interrogando, Reum autẽ iuxta propriũ mẽtis conceptum respõdendo, suo iure vti, legitimeque operari; ille, quia positiui iuris ordinem seruat; hic verò, quia naturalis vtitur facultate: in materia enim morali, aliud est coactio iustitiæ, aliud verò obligatio cõscientiæ. Meretrices enim, nec posũt, nec debẽt cõpelli turpẽ vitam deserere; ipsas tamẽ, ab ea recedere, cõsciẽtia obligat, cap. Meretrices.32.q.4. Ita etiã à cõtrario sensu, Iudex ex officio potest Reũ cogere iuramẽto, iuris ordine seruato, veritatẽ propalare; Reum tamẽ, nullatenus cõsciẽtia astringit illã cõfiteri, naturali iure vitã permitente cõseruare; quẽadmodũ ille, qui iustè à Iudice cõdemnatur, vt in ædia pereat, & ipsi cibũ sumere & Iudici cibo arcere licebit; ita etiã carceri inclusus vinculisq; irretitus, si mortẽ operiebatur, & ipse fugere, & Iudex illũ poterit detinere, quin potiùs ipsemet ciuiles leges in suo exteriori foro periurium nõ putãt eum qui pro salute corporis tuenda deierauit, vt

per glos. in Clemen. Pastoralis, verb. per violentiam, de re iudic. quam sequitur Lucas de Pen. in l. Quoties. n. 4. C. de dignit. lib. 2. Hyppol. in l. 1. n. 17. de quæstionib. latissimè Tiber. Decian. qui magna refert in confirmationẽ in Pract. crim. lib. 6. c. 11. n. 12. cum pluribus sequẽtibus; quare cùm nullum aliud periculũ sit nisi iuramenti, intrà conscientiæ limites considerandi, satis eius illibata atque illæsa religio censetur illa amphibola respõsione delinquẽtis, quia non Iudicis interrogato, sed proprio animo conceptui respondet?

QVIBVS ita pręmissis, illud etiam opportunè quæritur. Num Reus, qui interrogatus legitimè, semel renuit veritatẽ propalare, sit nihilominùs in foro consciẽtiæ astrictus lite perorata, delictũ confiteri, tunc maximé quãdo pœna condigna dãnatur, propter omnimodam criminis, in iudicio, probationem. Cui quæstioni sit etiam negatiua conclusio.

REVS, qui iuridicè interrogatus obiectum crimẽ, in iudicio negauit, illo finito, ampliùs non stringitur palàm confiteri, quin potiùs sufficit ei sacramentalis confessio, & absolutio. Cuius conclusionis lenitas, primò rationibus, deinde verò autoritatibus apparebit.

PRIMO. Quia obligatio veritatis dicendæ pręceptũ est affirmatiuũ, cuius ea est natura, vt semper obligẽt, non, tamẽ, pro semper, sed, tunc quando interrogatur, qui veritatem dicere tenetur, in qua doctrina adeò est concors omniũ Scribentium calculus, vt nullus, quem viderim contradicat: est tamẽ, quòd sententia, latá diffinitiua, Reus nec interrogari potest, nec interrogatur; ergo, non tenetur ex officio veritatem, semel occlusam, reuelare.

QVOD autem pręceptum veritatis dicendæ sit affirmatiuum ex natura præceptorũ affirmantium, probatur. Huiusmodi enim pręceptis actus legitimi fieri mandantur, quale est illud, Deum colẽdi, parentes honorãdi, dies festos celebrãdi; at verò negatiuis, reprobę quidem prohibẽtur actiones, veluti non furtũ facies, non mechaberis, non falsum testimonium dices; vnde horũ executio omnimodaq; obseruatio in non faciendo, illorum verò in operando consistit; vtque vno verbo cum diuo Thoma loquamur, præcepta negatiua prohibent actus peccatorum, affirmatiua verò inducunt ad actus virtutum; quam doctrinã cum diuo Tho. 2. 2. q. 33. art. 2. amplectuntur cæteri omnes Theologi, maximè Soto, lib. 4. de iust. & iur. q. 6. art. 2. Constat autẽ, veritatẽ dicere, esse actum & operationẽ virtutis; ergo, illius obligatio, sub pręcepto

cepto

cepto cadit affirmatiuo, quod nō pro, semper obligarē potest, sed obseruatis circumstantiis debitis, vbi, quando, & secundùm quod, quas enumerat diuus Thomas ibidem.

Nec tamen negamus, huiusmodi prçceptū, quod affirmatiuū esse probauimus, aliud, in se negatiuum implicare, quale est illud falsitatis, seu mendacij non proferēdi, cōcedimusq; iuxta hunc sensum æque semper, ac pro, semper obligare, nullibi enim mendaciū dicere licebit: quēadmodum etiā præceptū publicæ professionis fidei quatenus affirmat christianū publicè fidē profiteri debere, semper obligat, non, tamen pro semper, quatenus autem negat seu prohibet in Deum blasphemare strictè quidem, & quocūque tēporis momento ligat, propter omnimodam prohibitionis vim, qua propter, illatio valida non erit, non potest blasphemare, ergo tenetur fidem profiteri; sicut etiam non inde sequitur, non potest mētiri, ergo veritatem astringitur reuelare; illud enim sub negatiuo, hoc verò sub præcepto cadit affirmatiuo; nec ab vno ad alterum tāquàm à separatis recta fiet illatio, tex. vbi notāt Scribentes in. l. Papinianus exuli. ff. de minoribus. Obligatio enim mētiendi perpetua est & indeficiens, quia negatiuè impletur, nō vtique veritatem enunciādi, quæ in actu & opere consistit, quare Psalmographus Psal. 5. Perdes, inquit, qui loquitur mēdaciū, nec illorum meminit, qui veritatem dicere non satagūt, quia nō vbique illius obligatio ligat. Quæ verba August. explicans (in eodē Psal.), ait: aliud est mentiri, aliud verum occultare, aliud falsum dicere, aliud verum tacere; illud enim absque peccato fieri nō potest, hoc verò plerūque sine culpa omittitur, sufficit enim si in corde retineatur. Quare, ipsemet Augustinus in lib. vnico de Mēdacio, quem ad Cōsentium scripsit: Quia semper (inquit) in corde veritas loquēda est, non autē semper in ore corporis: citatque illud Psal. 14. Qui loquitur veritatem in corde suo, quibus etiam Propheta addit, qui non egit dolum in lingua sua! quibus verbis veritatē in corde absolutè Propheta requirit, mēdaciū verò execratur in ore, eo solùm, quòd non semper verum dicere prçceptum est, sicut mēdacium vitare: etenim, licèt veritatem enūciare & mendacium proferre cōtraria sint, nō vsque adeò immediata existunt, vt inter illa nequeat mediū considerari, potest enim aliquis in eo esse statu, vt cùm mētiri nequeat, adhùc tamen veritatem proferre non debeat: datur enim medium inter vtrumque, quale est illud, in quo Reus constituitur, finito iudicio, qui nec veritatē detegit confitendo, nec mendacium profert negando, sed vtriusque rei silencio sententiæ patitur executionem, satisque e-

erit

rit sacramentali absolutione obtinenda, tunc temporis, nec mentiri, nec animi mentiendi habere, nec ad id cogetur veritatem semel occlussam reuelare, quam detegere non tenetur, nisi interrogatus, vt ex natura præceptorum affirmantium probauimus, igitur cùm non interrogetur, cessat similiter dicendi obligatio.

NEC minùs ferendi sunt, qui asseuerant, Iudicem quocũque tẽporis momento interrogare, saltem prȩsumptiuè, id enim reuelata facie negamus, quia verè & re ipsa nõ interrogat, vt facti euidentia cõstat, nec minùs præsumptiuè, quod probatur ex eo; quia instantia finita, Iudicis partes cessauere, siue Reus absoluatur, siue condemnetur, functus est enim officio suo, semel sententia dicta, text. in. l. Iudex posteaquàm. ff. de sent. & re iudic.; nec iudex in illa causa poterit appellari, vt patet ex text. ibi, Iudex esse desinit, quin potiùs persona priuata reputatur, adeò, vt si post sentẽtiam aliquid à litigatoribus accipiat, ab eisque corrumpatur, eius tamẽ iudicium nõ vitiatur, nec repetundarum crimen committere, cõsuluit eruditè Petrus de Anchar. consi. 268. n. 4. quem sequitur Felin. in cap. Tua nos. versic. Limita, n. 5. de Simonia. Gemin. in. c. Statutum. §. Insuper, de rescriptis, eo solùm, quia sententia lata, ampliùs Iudex non existimatur, quibus cõducunt ea quæ tradit Bar. in. d. l. Iudex posteaquàm. n. 5. asserens: Ea omnia, quæ à Iudice fiunt, etiamsi in sententia scripta inueniantur post verbũ, Condẽnamus, nullius esse momenti, non secùs, ac si à priuato Iudice fierent, tex. in. l. Actorum. ff. de re iudi. Ex quibus manifeste sequitur, lata sententia, non posse ampliùs Reum interrogare, pro quibus etiam est tex. expressus in cap. Cùm Ioãnes Eremita, ibi: Cúm Iudex qui vsque ad prolationem sententiæ debet vniuersa rimari. de fid. instrum. Clemen. Sepè, & ibi glos. de verbor. sign. Cùm igitur, causa finita Iudex interrogandi potestatem non habeat, ex proximè dictis, vtique etiam præsumi non potest, eum aliquo modo interrogare, esset enim delictum & turpitudinem prȩsumere, quod Iura abhorrent, vt in. l. Merito. ff. Pro socio. l. Cùm pater. §. Rogo. ff. de legat. 2. l. Item apud Labeonem. §. Si communem, ff. de iniuriis. l. Omni modo. C. de inofficioso testamen. estque certissima præsumptionum regula, nullibi delictum præsumendum, vt resoluit Menochius de præsumptionib. lib. 5. præsumpt. 2. in principio; igitur fas non erit præsumere, Iudicem, qui iam finita causa deffectu potestatis laborat Reum interrogare contra Iuris dispositionem, talis enim mens Iudicis esse præsumitur, qualis de iure esse debet, vt testatur Bald.

in. l.

in l.1.n.2.ff.de negot.gest. consuluit Dec.cōs.43.n.5. quibus omnibus conuincitur, Reum, qui finito iudicio, nec interrogari potest, nec interrogatur, tam verè, quàm præsumptiuè, ex supradictis, ipsum non teneri veritatē reuelare; adijcimus præterea (& forsam meminisse iubabit), quòd, licet, Iudex finito iudicio, Reū de facto interrogaret, adhùc Reus non tenetur illi respondere, cùm enim in illa causa Iudex non sit, ex proximè dictis, & ex cōsequenti, nec iuridicè interroget, vtique & Reus veritatem illi fateri non tenebitur. Quibus suppositis, nescio sanè, quo iure possit stare doctrina illa grauissimi Magistri Petri de Ledes. in Sum. 2.p.tract.8.c.27. perpēdentis, tēporis intestitium decursum à sententia ad eiusque executionem, ad hoc vt presumatur Iudicē interrogare, vel non; nam preterquàm quòd eius doctrina nulla iuris decisione iubatur, parat quidem cōsciēciis offendiculū esset q; illis opùs statera ad discernendum, sit nè Iudici absumpta potestas interrogandi, quod quidem vt lex vitaret ab ipsomet tēporis puncto, quo sententiam dixit, illum Iudicem non esse decreuit, vt est tex. expressus in l. Iudex, posteaquam semel sententiam dixit, Iudex esse desinit. ff. de re iudicata.

Secundò. Quia delinquentis cōfessio à Iudice exigitur in hoc solùm, vt de crimine, de quo semiplenè constat, plenissimè cōstare posit, ne impunitū relinquatur, vt resolbit Salc. in pract. crim. cap.126. in Addit. litera. A. Segu. in Director. Iudic. 2.p. cap.37. & alij infrà allegandi, vnde: Reo iam ad supplicium ducto, nullius erit momēti confessio, cùm absque illa ex gestis causæ cōuinctus ordinaria Legis pœna plectatur. Qua propter, non mirùm, si cōfessionis causa cessante, cesset & ipsa confessio, imò Iudex Reum damnando, eius neglecta confessione, quam initio exegerat, iam ab ea destitisse videtur, illamque remisisse, nec minus ea iubari velle, vssus enim alijs legitimis probationibus, ex eisque pœnam exequens delinquentis confessionem superuacaneam censet, nec iudicio necessariam.

Vltimo. Quia interest maximè Iudicum aliquorum vafræ calliditati præire, qui vani nominis, futilisque honoris gloriam æstuantes, Reum dānant inconfessum, quem fortassè ex meritis causæ nec torquere potuissent? In hoc solùm, vt dum vitam sibi adimendam putat, obiectum crimen cogatur reuelare? vt autem diræ intentionis compotes fiant (horresco referens) sacrosancto pœnitentiæ sacramento iubari intendunt, copia enim confessorum Reo denegata, eum solum colloqui permitunt, quem contrariæ opinionis assertorem cognouerint. Nec temere

mere quidem, aut sine lege loquimur, hic enim vbi nunc agimus, homo quidam in trãquillitate vitam degit, qui de homicidio inquisitus, cùm causa finita nulla aut nõ sufficiẽs, aduersus eum subesset probatio, adhuc tamen non conuictus nec confessus, Iudicis sententia morti addicitur, fictè tamẽ vt re ipsa cõpertum est, eo enim ad suppliciũ ducto, restiq; collo alligata, cùm adhuc negans persisteret, ab ipso patibulo, mortisq; faucibus, liber ire iussus est. Non ita euenturum, si confessarij suasu obiectũ crimẽ fateretur.

INSVRGANT igitur sanctissimi Ecclesiæ Presules, & hoc malum quod imminet, recrudescere non patiatur. Insurgant & qui hoc sacrosactũ pœnitẽtię munus exercẽt, ne tam nefario iudicũ aussui subministrent, nihil, quæso, eorum calliditas prosit, vt delictum, quod fortassis Dei iudicio occulitur, aliquali sacramẽtalis sigilli iactura detegatur, id enim confessoribus cauendũ religiosissimè cõsuluit, Hispaniæ nostrę decus, Dominicus Soto in celeberrimo illo tract. de ratione tegẽdi & detegendi secretum, mẽb. 2. q. 7. cõcl. 3. ibi: Eo vel, maximè, quòd Iudices vtũtur illa cautela, vt fingãt se velle occidere incõfessos, ea ratione, vt patefaciãt delicta; at verò, quia res est pręcipui momẽti, cauẽdum est cõfessoribus, ne sint præcipites in causa mortis, aut vbi agitur de honore & fama: hæc Dominicanus alicuius fortè. Iudicis flagitium expertus, nõ enim cruor hominis necessarius est, vt peccata sacramẽtali absolutione deleantur. Id enim mansuetissimus ille Euangelicus Spiritus operatur, qui cùm animas saluet, corpora etiam perire non patitur, cuius ipsemet Seruator meminit apud Luc. 9. cùm enim iter facturus esset in Hierusalẽ, eumq; Apostoli in opido Samaritanorũ vellẽt hospitare eos, Samaritani respuentes, ciuitatis portas occlusserunt; qua propter Ioannes & Iacobus ciuiũ inhumanitate cõmoti, ignem de cœlo aduersus eos (vt Elias fecit) imprecabantur. Iesus autẽ, vt ostẽderet quanta oporteat esse Euãgelici Doctoris lenitas & mansuetudo, increpatione illorum iracundiam coercuit: Nescitis (inquit) cuius spiritus estis; filius hominis non venit animas perdere, sed saluas facere. Hoc est, nolite vobis Eliæ factum in exẽplum vocare; ille enim eius tẽporis spiritu ductus, impios perdidit, vos autẽ nõ sic esse oportet, est enim mãsuetior hic Euangelicus spiritus cuius vos estis. Ille enim spiritus vindictæ erat, v cruẽta illa sacrificia veteris legis prænunciant, hic autem lenitatis & misericordiæ, vt incruẽta Euangelicæ legis sacramẽta declarãt. Non ergo fas erit cõfessoribus, dum animæ delinquẽtis mẽdetur eius vitam in discrimen constituere, cùm potius consulendum vtrique Euangelica testimonia commostrent.

QVIBVS congruit illud Ioan. 8. vbi cùm Pharisęi mulierculā in adulterio deprehensam ad Iesum aduxissent, astu quidem & fraude, vt si mulier eius causa dāmnaretur, secederet ab eo populi multitudo, quam lenitate & mãsuetudine potissimum cōciliauerat; Iesus igitur, qui nouerat arcana cordiū, cuiusque cōscientiā, nihil omninò quantūbis occultum fugiebat, vt cæteris Euāgelicę legis medicis & Doctoribus normam præberet, nihil Pharisæis respondens, quorum animos callebat, nihilq; miserrimæ mulierculæ interrogãs, cuius intima cordis iam nouerat, sic illorū maliciā ellusit (sic vtinam cõfessarij iudicum etiā ellusissent), vt peccatricē de manibus lapidantiū eriperet, tandemq; suo silētio patrocinatus est ei, quæ rapiebatur ad pœnam, vt seruaretur ad pœnitentiam, & resipiceret ad salutem: obiterq; Euangelicæ legis (cuius ipse Conditor erat) praxim & stylum cōmostraret; quam doctrinam prosequitur Augustinus in elleganti illa quæstione, cui titulus, ex vtroque mixtim, paulò post principium.

CONTENTVS igitur debet esse confessor, si Reum à matulēto mortis timore perterritum, commissi criminis intimo cordis affectu pœniteat, ne dum illum cogit turpitudinē palàm cōfiteri, duplici cōterat afflictione, mortis scilicet, & honoris, eo vel maximè, quod cúm huius opinionis autores sint scientia & autoritate conspicui, in hoc sanè opinione delinquentis acquiescere debet, vt concors Summistarum doctrina testatur.

QVIBVS & aliis, quæ cōsultò omitto, finito iudicio, Reoque dānato, amplius non teneri confiteri delictum, tenuit magnus ille cōsciētiæ mystes Martin. Nauar. in Manua. lati. c. 25. n. 36. Eman. Rodr. in Summa, de ordi. iudicia. c. 10. n. 2. Salc. in pract. crim. cā. c. 126. in Addit. litera. A. Ioan. Segu. de Aualos in Direct. iudicū, 2. p. c. 14. n. 36. vbi Nauarrū à quorundā impugnatione defēdit Ioseph. de Angl. in quæstionib. Theolog. 1. p. q. 3. de confesone. 15. difficult. concl. 1. & 2. p. de corrept. fraterna, difficult. 7. cōcl. 1. Idem de restitut. famæ, difficultate. 1. concl. 1. nouissimē omniū Eman. Sa, in Aphoris. confessarior. verb. Iudiciales actus, cap. de Reo.

QVIBVS ita præmissis, reliquum est argumēto in contrariū respōdere. Idq; est. Reum, qui veritatem occlussam adhuc celat iniuriā Iudici, testibus, & accusatori inferre, eorumq; famā lædere, dum vulgus autumat Iudicis sententiā iniquā, accusatorē autē & testes calumniatores, & ob id teneri illis honorem restituere.

HOC illud contrariæ partis argumentum, & vt aliqui putāt, firmum ac solidum, quod tamen non magno nissu poterit euerti;

estque

estque huius opinionis præcipuus assertor, splendidissimũ Theologiæ moralis lumen Bartholo. de Medina Salmantinus, in Sum. cap. 14. §. 35. Miror autem virum non leuis eruditionis leuissimo niti fundamento, cui primum negamus iudicis honorem lædi; aut enim sufficientem habet probationẽ cùm Reum damnat, aut non, quo casu, sibi imputet, qui iniustè condemnat, nec enim est dignus, vt eius sententia excusetur, contra iuris ordinem, vniuersamque legislatorum lucubrationem latam: si autem plenam habet probationem, nulla iniusti iudicis suspicione laborabit, qui ex allegatis in causa, similiter & approbatis, Reum damnauerit in cõfessum, id enim faciendum Iura proclamant ex tex. in. l. Illicitas, §. veritas. ff. de offic. Præsidis. prosequitur latè Couarr. lib. 1. Variar. cap. 1. per totum. Zerol. in Pract. Episcopa. verb. Iudex. n. 23. Esto autem (nec id cõcedimus) famam iudicis obnubilari, adhuc tamen, cassus posset euenire, in quo neutiquam Reus obligaretur illi satisfacere; nullus enim cogitur restituere cum notabili sui detrimento, etiam in bonis fortunæ ne dum corporis, vt est communis resolutio ex Sot. de Iustitia, lib. 5. q. 6. art. 3. & q. 7. art. 4. Petrus de Nauarra tom. 2. de Rest. lib. 2. de resti. famæ. q. 2. conclus. 1. Cardina. Iesuita in Instructo. Sacerdotum, lib. 5. cap. 27. n. 2.: Restitutio enim, quantumbis in se negatiuum implicet præceptum, adhuc tamen cibilem recipit moram, ex Soto, vbi sup. & lib. 4. q. 6. art. 2.: Cùm igitur in causis capitalibus turpioribusque criminibus, maxima Reus apud omnes infamia notaretur, si crimẽ detegeret, iniquũ sanè, imò tyrannicum foret, cum tãta sui honoris iactura, & quandoque vitæ periculo, illum cogere famæ iudicis consulere, quæ nec in minimo læditur, legis autoritate Reum damnando.

IDEM quoque de testibus, & accusatore affirmamus; negamus enim, eorum famam, & honorem, delinquentis negatiua taxari, cum siquidem iudicis sententia, quę Ius facit redarguit; accusatorem autem & testes excusat pro sentẽtia enim iudicis pręsumendum, vltrà ordinaria Iura probat tex. in cap. Consanguinei, & in cap. Causamque, de re iud. glos. verb. Exprimatur, circa med. in cap. Sicut nobis, eod. tit. l. Herenius. §. eaia. ff. de euictio. Menoch. consil. 79. num. 28. lib. 1. Arismi. Tepat. lib. 1. sentẽtiar. Iuris. tit. de sentẽtiis diffinitiuis, quòd procedit etiã appellatione pendẽte, quia ea nõ obstãte pro sentẽtia pręsumẽdũ, tenuit Bald. in. l. Ex contextu. §. de inofficios. & ibi Castrens. ff. de inoffic. testam. Imol. in. c. præsentia. n. 14. de renũt. latissimè omniũ Masc.

de pro-

de probat.cōcl.1302. n.3. quin potius etiam si dicatur ex falsis instrumentis latam, adhuc tamen præsumendū pro ea, docuit glos. verb. Obtentu, in cap. Accepimus, de fide instrum. per tex. ibi: Ex quo enim de sentētia constat præsumendū est, omni ritè & rectè processisse. tex. in. d. c. Sicut nobis, de re iud. ibi: (Propter autoritatē iudiciariam, pręsumendum est, omnia rité & rectè processisse.) vbi Panor. n. 7. ait, procedere, siue factum sit antiquū, siue recens. Dec. consi. 125. n. 4. Abb. & alij in cap. Nisi, de offic. deleg. qui dicūt, locum supradicta habere, etiam si agatur de præiudicio tertij, quia vbi Iudicis autoritas interuenit, omnis suspicio fraudis cessare debet, vt notat Bart. in. l. Frater à fratre. n. 50. ff. de condic. indeb. quare cùm testes & accusatores (Reo dānato) rem iudicatā habere noscantur, nihil sanè eorū famæ detrahi, iudicari potest; sentétia enim habetur pro veritate, ex tex. in. l. Res iudicata. ff. de regul. iur. l. Ingenuum. ff. de stat. hom. Roland. consil. 92. n. 2. volu. 2. facitq; negotium ipsum notoriū, vt in cap. Vestra. vbi Abb. & Ioan. Andr. de cohabi. Cler. & mul. Panor. consil. 90. n. 5. Igitur cum sentētia Iudicis innitantur omnis suspicio fraudis & calūnię contra eos, cessare debet; est enim sententia tantæ autoritatis & potētiæ, vt ipsamet, vincula naturalia inuertat, & falsa in verū cōmutet, nō quidem essentialiter, sed effectiuè, ita Bald. in. c. In pręsentia, de probat. Crau. cōsi. 29. n. 8. quibus etiam breuiter addere libet, quæ latissimè prosequitur Maran. de ordi. iud. 6. p. §. Expedita. n. 128. & 129. & Iass. in. l. Iullianus. nu. 2. ff. de cond. indeb. Zephal. cōsil. 162. n. 8. Mascard. de probat. concl. 1302. nu. 13. cū sequentibus, qui omnes fatentur, iudicis sentētiam posse facere, de albo nigrū, & debitū de indebito, argum. tex. in. l. 1. ff. de cōdict. indeb. nam, qui sententiā pro se habet, veritatē habere censetur; ipsa enim sententia, pro veritate sumitur & lege, vt in. l. res iudicata. ff. de reg. iur. cuius ratio, ea cōmuniter asignatur, semper pro Iudice præsumendū, omnia ritè & rectè fecisse, vt testatur Specul at. in tit. de instrum. editione. §. Restat videre. n. 20. Alcia. de pręsum. reg. 3. pręsum. 9. & probat tex. in. l. vltima, vbi Scribentes. C. de fideicom. libert. l. Cùm precibus. C. de probat. cōmunis Canonistarum in. c. quoniam contra, eod. tit. quis igitur testiū aut accusatoris fidem damnabit, quam sentētia tot priuilegiis exculta cōmendat? eo magis quòd testes in dubio præsumuntur vera dixisse, Panor. in cap. Cōsanguinei. n. 3. de re iud. glos. verb. Obtentu, in d. c. Accepimus, ex quo fit, eorum dicta non esse calūnianda, nec cauilanda, vt ex Imol. & Doctoribus in. l. Inter stipulātem. §. Stichum, de verbor. oblig. consuluit Cardin. Patrit. consil. 87. n. 41.

volu.3.Ioan.de Neuiz.consi.26.n.33.Rota Genuen. decis.3.n.24. Alexã.de Neuo cõsi.37.n.2.&.3.vbi ait semper pręsumendũ in fauorẽ Iudicis & testiũ,Boer.decis.40.n.18.Manti.de cõiect.vlt. volunt.lib.6.tit.5.n.15. ex quibus omnibus manifestè liquet Reo dãnato,etiã crimen inficiante,nullam Iudicis honorem testium,nec accusatoris notã subire illius;quia iuris ordinẽ fuit amplexus, istorum autẽ,quia Iudicis & rei iudicatæ autoritas cõmendat;pręsumitur enim,Iudicẽ ex iusta causa sctentiã protulisse,vt ex Innoc. in c.In pręsentia, de renunc. & aliis notat Menoch. de præsum. lib.6.præsump.4.n.28.

His etiã adijcimus,multa esse in materia morali,quę ad opera pertinẽt super erogationis,quæ si à fidelibus fiant prosunt, nõ tamen nocitura si omittantur, hùc spectant salutifera Euãgelicæ legis consilia,quale est illud,quo monemur,percutienti in vna, alterã maxillam exponere ; ita tamen,vt qui ictu subterfugerit, nõ ideò delinquisse iudicetur,ipsemet enim Seruator,vt vtrũque ostenderet,cùm ab immanissimo ministro alapa feriretur, nõ statim aliam præbuit maxillã,imò illum redarguit dicẽs: Si malè locutus sum testimonium perhibet de malo,si autẽ benè,cur me cędis? quibus significauit præparationẽ illam maxillæ in corde faciendã,non vtique re ipsa semper obligare, vt elleganti oratione interpretatur eloquẽtissimus Augustin.in allegato lib.de Mendatio ad Consentium,addens illud Apost. Actor.23. qui alapa etiã coram Põtifice percussus,non iterùm percuti rogauit,imò verò aduersus Pontificẽ ait:Percutiet te Dominus paries dealbatæ. quod eorum gratia dixerim,qui vanam & vanissimã huius sęculi gloriam reputantes,commissum crimẽ palàm detegerint, cùm illius pœnã mortem maximè subituros esse cognouerint, existimantes maximum ex hoc humilitatis obsequiũ pręstaturos, gloriãq; Deo reddituros,nõ tamen ad hoc sub reatu lethalis teneri,nec minùs à cõfessariis vllo modo cogendos cum periculo implere,id cuius omissio nullã apud Deum culpã paritura probauimus, quibus & aliis,quę nũc omittimus,ne opus cresceret in immẽsum huic nostrę opinioni securus accedo,Reumque sacramẽtaliter absoluerẽ, rebus pręmaturè pẽsatis,pręhabitoque diligẽti examine,nulli alij dãnum irrogari,ipsumque Reũ cõmissi criminis intimo cordis affectu pœnitere;nec cõtemerandæ iustitiæ causam,crimen non detegere,sed honoris aut vitæ cõseruandæ. Finem igitur huic nostrę disputationi imponimus,nõ enim pręsentis est instituti disserere,quid agendũ cùm Reus negans indebitè absoluitur, huius enim dubij,obuia apud autores inueniuntur consilia.

LAVS DEO.